



#

1646, 2
A 14

DISPUTATIO JURIDICA
DE
FIDEJUSSORIBVS ET
EORVM BENEFICIIS,

Quam

D. T. O. M. A.

Autoritate & Consensu Amplissimi Ictorum ordi-
nis in Electorali ad Viadrum Academia flo-
rentissimâ

Sub Præsidió

Excellentissimi Amplissimi & Consultif-
simi Viri DN.

D. HENNINGI
GROSER/

Professoris P. hujus Academiae Dignissimi, meritissimi
ac Practici celeberrimi, Præceptoris Patroni ac Pro-
motoris sui summâ observantiâ
colendi

Publicè in Auditorio Juridico examinandam Eru-
ditis proponit

DAVID SCHRÖDERUS Treptoa
Pomer.

Ad diem 3. Septemb. Anno 1646.
Horis à 7. Matutinis.

Frankofurti
Typis NICOLAI KOCHI
Accad. Typogr.

THESIS I.

Fidejussor est (a) qui mediante stipulatione (b) pro alterius debito (c) se suo nomine (d) citra novationem (e) obligat in majorem creditoris securitatem (f) Et quamvis largâ significatione omnes illi, qui alterius obligationem, quoquo modo in se receperunt, fidejussoris vocabulo denotentur, ut sunt Mandatores (g) Constituentes (h) Sponsores (i) Expromissores (k) certis tamen modis distincti sunt à fidejussore propriè dicto

(a) Fidejussoris vocabulum non natum id est simplex, sed ab origine factum duplici seu compositum est à fide & jussore ut fidejussor sit idem, quasi fide suâ jubens, ut credatur alteri *Anton. Hering de fidejuss. cap. 2. Myns. ad rubric. inst. b. t. n. 3.* Nam fides ut nec ab alijs, ita nec à fidejussionis contractu excluditur. *l. 4. C. de O & A.* Quam non raro fidejussores dicuntur astringere *l. 52. §. 2. ff. b. t. obligare l. 27. §. 2. ff. Ad SC. Vellei* Debitorem per solutionem vel alium modum liberantes implere *l. 29. §. 6. ff. Mand. & creditores sequi l. 1. ff. de reb. cred.* ita ut non sit dubium, quia fides requiratur, quandoquidem sola jussio ad vinculum fidejussoriae obligationis non sufficit, aliud enim est jubere aliud fidejuberere *l. 25. ff. Ad SC. Vellei. l. 1. §. 5. ff. quod juss. Hering d. tract. cap. 1. num. 52. & seqq.*

(b) Sine illâ fidejussio consistere nequit *l. 5. §. 2. 3. ff. de V. O.* solenni enim stipulationis cautela est vallanda *l. 33. §. 3. C. de Episc. & Cl.* ac ipsius forma à stipulatione desumenda *Wesemb. π. num. 5. b. t.* unde & stipulatio intervenisse praesumitur si modo constet, quem fidejussisse §. *fin. Inst. b. t. l. 1. & ibid. Sichard. C. de Contrab. stipul.* (c.) Fidejussorum namq; obligatio est quaedam principalis obligationis accessio §. *5. Inst. l. 34. ff. b. t.* ac nulla existente principali fidejuss

fidejussor obligari nequit *l. 11. § 1. 16. pr inc. ff. d. t. necessi-*
ergo est, ut fiat pro alio, non enim intelligi potest, ut pro
se fidejubendo quis obligetur l. 21 § 2. l. 56. §. 1. ff. h. t. Vn-
de fidejussores dici solent Adpromissores l. 4. ff. de solut. Va-
lentin Franc de fidejus. capit. 1. n. 33. (d.) Non enim debito-
ris, aut alius, sed suo nomine pro debitore promittit stipu-
lanti Giphon. in Antin. juris civ. ad 4. libr. Inst. Disp. de fidei.
& sicut reus principalis non aliter, quam si de sua personâ pro-
mittit, obligatur; ita fidejussor non aliter tenetur, quam si quid
se daturum vel facturum promiserit l. 65. ff. h. t. (e) Hac pri-
us debitum in alienam obligationem transfunditur l. 1. ff. de
Novat. Iohan. Goedd. de contrab. stipul. cap. 5. concl. 7. Et quam-
vis fidejussor alienam obligationem in se recipiat l. 1. § 8. ff. de
O. & A. l. 5. C. si certum per. Debitor principalis tamen adhuc
manet obligatus Franc. cap. 1. n. 8. hoc enim non agitur in-
ter partes ut ex præcedenti causâ ita nova constituatur, ut pri-
or perimatur Hering cap. 3. n. 36. & quia hoc non agitur
duæ erunt obligationes, principalis nimirum & accessoria.
l. 2. ff. de Novat. l. 34. ff. h. t. (f) is finis & usus fidejussionis,
ut credatur debitori; & diligentius caveatur creditori §. 1. Inst.
h. t. Hering. cap. 26 interest n. creditoris duos vel plures habe-
re reos l. 3. §. fin. ff. de liberat Leg. in primis ut, si principalis
non est solvendo, ab iis, quos pro reo sibi obligavit, suum
consequatur §. vult & ibid Dd. Inst. de Replie. (g) Mandator
is est, qui alteri mandat vel ut fidejubeat pro se, aut alio, l. 22.
ff. Mand. vel ut pecuniam alteri credat, vel negocium gerat
l. 27. §. 1. & 2. d. t. idq; solo consensu inter presentes vel
absentes fieri potest l. 1. & 32. ff. eod. quod non est in fidejus-
sore, qui non nisi solenni stipulatione obligatur, non obstan-
te. l. 4. ff. de fidejuss. tutor. Relatio n. in acta illo in casu in-
stat stipulationis nominatum & non contradicentem obli-
gat, tum propter favorem pupillorum tum actorum publi-
corum auctoritatem Coras lib. 2. Miscell. jur. civ. cap. 12. num.
12. Bronck. Enant. 4. Assert. 43. Et hac stipulationis solenni-
tate,

tate, discernitur à fidejussore Constituens (b) qui per nudum pactum id, quod vel ipse vel alius debet se soluturum promittit l. 1. § 3. ff. de Const. pecun. § 9. Inst. de Act. Hering. cap. 18. num. 4. (i) An Sponsor differat in eo à fidejussore, quod hic non nisi rogatus, ille vero sponte ad obligationem accedat à multis disputatur; Affirmativam præter alios tenent Wesenb. n. 2. & Schneidov. princ. n. 7. b. r. quorum hic subiicit quod in libellis, dici solet; *Wess ich dann auff sein fleißiges bitten vnd ersuchen mich von seinem wegen in Bürgschafft gelassen.* Nobis vero ea sententia minus arridet, quamvis n. non raro fidejussor petitione debitoris ad obligationem in se suscipiendam commoveatur, sine mandato tamen etiam l. 4. § 5. ff. de Neg. Gest. & pro debitore ignorante l. 30. ff. b. r. & absente recte intercedit l. 20. §. 1. ff. Mand. nec rogatio debitoris constituit fidejussorem, sed creditoris stipulatio & fidejussoris Sponsio *Arum. Exerc. Justin. 13. eb. 11.* Differunt igitur tantum in eo, quod Sponsor generis, fidejussor speciei locum obtineat, quemadmodum id & in aliis contractibus procedit. *vid. l. 7. & ibid. Goed. n. 15. de V. S. hinc omnis fidejussor est sponsor, sed non contra Goed. de contr. stip. cap. 5. concl. 4. num. 16 & concl. 5. n. 24.* (k) Expromissor demum est. qui alterius, aliquando non efficaciter obligati obligationem novando, vel alio modo efficaci promittendo, in se transfert l. 4. de condiç. caus. non sec: l. fin. ff. ad SC. Maced. l. 37. §. fin. ff. de operis libert: l. 7. §. 8. ff. de dolo l. 13. ff. ad SC. Vell. Hering. cap. 4. n. 22. & seqq.

THES. II.

Fidejubere possunt (a) omnes qui stipulando efficaciter obligantur, sive sint patres- sive filii- familias (b) nisi ex certis causis prohibeantur.

(a) *Valent. Franc. cap. 2. n. 2.* siquidem contractum fidejussionis commerciis & vitæ communis vsui proficuum

A :

non

non modo ll. civiles permittunt *tot. tit. ff. C. de fidejuf. sed*
& literæ sacræ eum ut pium & cum humanitate conjunctum
approbant Gen. 42. v. 37. & cap. 43. v. 9. 2. Mac. cap. 12. v. 24.
Luc. 10. v. 35. Paul. in Epist. ad Philem. vid. Harpr. in Comm.
Inst. ad princ. huj. tit. Hering. cap. 1. imo nulla est ratio quæ a-
liquem ab hoc repellat, & ad alios contractus admittat, ni-
hil extrinsecus interveniente. Idem Hering. cap. 7. n. 68. (b)
§. 6. Inst. de inut. stipul. l. 5. C. quod cum eo. qui in &c. Si mo-
do filius familias major fuerit XXV. annis d. l. 5. Minoren-
ni enim læso jura nostra beneficio in integrum restitutionis
subveniunt l. 1. C. de filiof. min. & thes. seq. Eo vero cessante
obligatur ille in solidum, pater vero ipsius de peculio l. 44.
ff. de pecul. d. l. 5. C. quod cum eo. Et potest fidem suam inter-
ponere tam pro Extraneo quam patre sive in istius positus po-
testate, sive sui juris effectus sit l. 9. C. d. t. l. 8. C. de fidej. l. 10.
ff. eod. l. 10. p. & l. 15. ff. de in rem vers. quemadmodum vice
versâ pater pro filio l. 8. C. quod cum eo l. 1. C. Ne filius pro
pater. l. 5. §. fin ff. de Liberat. Leg. Et licet hæ personæ fictio-
ne juris pro vna persona habeantur §. 4. Inst. de inut. stipul.
id tamen non absolute nec respectu Extraneorum sed mo-
do quodam & sui relatione mutua quoad domestica nego-
tia verum permittitur. Goedd. de contr. stip. cap. 7. concl. 5. fi-
liusq; intercedens habetur pro Extraneo l. 39. ff. de O. & A.
l. 3. ff. Ad Maced. Hering. cap. 7. n. 327. Imo tenetur filius
pro parente si captivus detineatur sub metu exhæredationis
fidem suam astringere, quo eum liberet. Novell. n. 115. cap. 3.

THES. III.

Prohibetur autem fidejubere vel si fidejusserint ob-
 ligationi eximuntur, nonnulli ob defectum ætatis
 (a) Potestatis (b) sanitatis (c) vel ob specialem legis ra-
 tionem (d) vel ob delictum commissum (e).

(a) Pupillus & Minor. Pupillaris ætatis Dd. tres
 communiter statuunt gradus. Infantem infantia majorem,
 & pu-

& pubertati proximum. *Borcholt. ad §. 10. Inst. de inutil. stipul.*
Ille cum ob defectum rationis sibi stipulari non possit *d. §. 10.*
l. 1. §. 13 ff. d. O. & A. l. 1. princ. l. 170. ff. de V. O. multo minus
fidejubendo alijs se obligabit. Hi quamvis stipulando ali-
os adstringere atq; sic suam conditionem reddere meliorem
etiam sine Tutoris autoritate possint *§. 9. Inst. de inutil. stipul. l. 9.*
ff. d. Autor. tut. l. 7. C. de contrab. stipul. Alijs tamen promittere
ac fidejussione obligari nequeunt, nisi tutoris autoritatem in-
tervenisse probatum fuerit *l. 189. de R. I. l. 1. C. de inutilib. sti-
pul. l. 43. ff. de O. & A.* De Minore *XXV.* annis major est
controversia an fidejubendo obligari possit? solet distingvi
an is curatorem habeat, vel non, ita ut hoc casu quidem fi-
dejussione, illo vero non, nisi consensus Curatoris interve-
niat, obligetur *per l. 3. C. de in interg. inst. vid. ibid. Sichard.*
Hering. cap. 7. n. 82. & seqq. verum quamvis nos verius
putemus eum utroq; casu fidejussione obligari *per l. 101. de V. O.*
non tamen propterea haberi pro idoneo fidejussore ob bene-
ficiam restitutionis in integrum *l. 7. §. 3 ff. de Minor. l. 48. ff.*
b. t. Franc. cap. 2. n. 122. Herm. Vult. lib. un. discept. Schol.
cap. 16. nisi in rem suam l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cogunt. vel se
majorem mentitus fidejusserit l. 2. & tot. ii. si minor se majo-
rem dix. vel fidejussione contractam juramento confirma-
sit arg. Auth. sacramenta C. si adversus vend. Franc. d. cap.
n. 139. (b.) Servus l. 2. l. 19. & seq. ff. b. t. ratio in l. 22. §. 2.
175. de R. I. & l. 6. C. de jud. nonnullæ tamen limitationes vi-
deantur apud Hering. d. cap. 7. n. 295. & seqq. (c) Corpo-
ris vel Animi. Corporis ut Mutus & surdus, non a. Coecus,
quia hic, Illi vero non, stipulationem contrahere possunt
§. 7. Inst. de Inutil. stipul l. 1. ff. de V. O. Goedd. de contr. stip. cap.
7. concl. 15. Nec hic distinctio locum meretur, an quis na-
turâ ab utero matris mutus sit an vero casu: vel an discre-
te veluti mutus tantum, cujus usus potest esse in testamen-
tis & alijs contractibus *l. 10. C. qui testam. facer. poss.* Ho-
die tamen eos (si modo alias idonei sunt) confuso quoad ef-
fectum stipulationum & pactorum jure obligari posse attesta-

SUE

tur *Hering. d. c. n. 149. arg. l. 38. ff. de O. & A.* Animi ut
Furiosus & Prodigus. Illius enim nulla voluntas *l. 40. de R. I.*
§ 8. & 9. Inst. de Inutil. stipul. nullus consensus l. 2. C. de contr.
Empt. isq; seris rebus adhibitus præsens absentis loco habe-
*tur l. 124. de R. I. ideoq; ut nec stipulando *Goed. de cap. concl. 9.**
*ita nec fidejubendo obligatur. *Franc. d. cap. n. 6.* Quod ta-*
men de eo furioso modo verum, qui continuâ mentis aliena-
tione laborat, non de eo qui furioris intervalla habet, tem-
*pore enim intermissionis hic recte contrahit *d. l. 2. C. de Contr.**
Emp.. Idem affirmandum de mente capto, qui proprie lo-
quendo à furioso distat *Goed. de con. 9. Borchol. ad § 3. Inst.*
*de Curat. & summè ebrio *Franc. d. l. n. 33.* cujus tamen ali-*
quot restrictiones tradit Hering. Prodigus cui bonis ob eo-
rum dilapidationem interdictum est, merito ab hoc fidejuf-
*tionis contractu arcetur *arg. l. 6. ff. de V. O. Goed. d. c. concl. 10.**
ratione enim contractuum filio tenuissimo distat a furioso,
*cum quo passim etiam in jure conjungitur. *l. 1. C. de Curat.**
*furiol. l. 25. ff. h. t. *Hering. d. loc. n. 138.* (d) Clericus, Mi-*
les, Mulier. Prohibitioni Clerico factæ hæc assignatur ratio,
ne ejus fidejussione sanctis domibus damnum, fiat aut
*sacra ministeria impediatur *Novell. 123. cap. 6.* Minor du-*
bitatio est de Monachis præter cucullam, Zonam sive funem
*modosum nihil habentibus *Hering. de cap. 7. n. 249.* quibus*
itidem modis id restringatur, & quatenus in Clericis Augu-
*stanz confessioni addictis locum mereatur *vid. citat. Autor.**
d. loc. Miles ideo prohibetur ne quæsito negotiorum foren-
sum colore à studio militiæ avocetur, atq; exactioibus,
dum militandum vexetur. *l. 31. C. Locat. & Cond. l. 8. § 1.*
ff. Qui satisd. coguntur Mulier quamvis alias efficaciter obli-
getur contractu, pro alio tamen intercedens eximitur obli-
gationi actione in pristinum debitorem restitutâ *Wesemb. π*
ad SC. Vellei: rationes in eodem SCto l. 2. ff. d. t. & hoc
*beneficio non modo mulier ipsa, sed & ipsius hæredes *l. 10.**
*d. t. ac fidejussores juvantur *l. 6. ff. l. 14. C. eod. conf. Do-**
nell. lib. 12. cap. 29. Geisat autem hoc SCtum multis in ca-
sibus, Si 1, scilicet utilitas negotii pro quo fidejussit, ad ipsam
spectet

Spectet l. 13. §. fin. l. 27. §. 2. ff. ad SC. Vell. Novell. 134. cap
 8. in fin. 2. Si pro precio libertatis Domino manumittenti
 dando vel 3. pro dote se obligaverit l. 24. l. 12. § 25. C. ad
 Vellejan. 4. Si successerit reo principali l. 8. § 13. ff. d. t. l. 95. ff.
 de solut. hoc enim casu directâ vel restitutoriâ actione conve-
 nitur d. §. 13. 5. Si precium pro intercessione eam accepisse
 probetur l. 23. C. ad Vell. quod autem quale quantumq; sit, ut
 jure non definitum judicis arbitrio committimus cum Meno-
 chio casu 234. de arbitr. jud. quast. 6. Si intra biennale juge
 tempus pro Extraneo bis fidejusserit ac ita priorem fidejussio-
 nem confirmarit l. 22. C. d. t. vel 7. Decipiendi animo id fe-
 cerit l. 30. princ. ff. eod. jura enim non decipienti sed deceptæ
 opitulantur l. 2. §. 3. d. t. nec non ejus exceptio doli replicati-
 one submovetur l. 18. C. eod. Donell. lib. 12. cap. 32. Si de-
 mum 8. legitime huic beneficio renunciaverit l. 32. §. pen. ff.
 Eod. Eam autem Vellejano renunciare posse non dubitamus
 l. pen. C. de pact. l. 21. C. ad Vellei. Giphon. Inst. h. t. Ut au-
 tem talis renunciatio valida sit, consulunt Dd. ut de suo be-
 neficio prius certioretur Ferrar. tit. 39. gloss. 11. n. 2. Gail.
 lib. 2. observ. 77. vel renunciationem sacramenti religione con-
 firmet Hering. d. cap. n. 507.

(e) Criminis læsæ Majestatis rei, Imperii Banniti, &
 alii quorum bona publicanda veniunt. Nam si stipulationem
 aut alios contractus inire nequeant, probante id Goeddeo c. 7.
 conc. 2. 3. 4. & Ferrar. tit. 2. gloss. 10. n. 51. utiq; ii pro inido-
 neis fidejussoribus habebuntur. Hering. d. loc. n. 599. Credi-
 tor quoq; alias ob causas substantiæ scilicet tenuitatem vel cõ-
 veniendi difficultatem fidejussores sibi oblatos recusare potest
 l. 112. de V. O. l. 1. ff. in jus vocati aut eant & c. Wesenb. π eod.
 Eos autem recipiens approbare videtur l. 3. ff. b. t. & suæ fa-
 cilitati id expensum ferre, debet l. 3. §. 3. ff. Ut in possess. legat.
 & c. Novâ autem causâ & inopinatâ emergente aliam cautio-
 nem recte postulat l. 4. d. t. l. 10. ff. qui satisd. cog. Franc. cap.
 4. n. 152. & seqq.

B

THES.

THES. IV.

Fidejussor omni Obligationi (a) non prohibita (b) tam Naturali (c) quam Civili (d) tam ex contractu (e) quam delicto (f) descendenti recte accedit.

(a) Sive re sive verbis vel literis vel consensu sit contracta § 1. *Inst. l. 1. l. 8. § 1. ff. b. t.* sive ea sit futura quamvis incertae quantitatis, certificandae tamen per relationem ad aliud, sive praecedens. *l. 6. § 2. ff. b. t. Hering cap. 10. n. 70.* praecedere enim & sequi potest fidejussor principalis obligationem §. 2. *Inst. b. t.* effectu tamen semper sequitur *l. 57. ff. & Wesenb. n. n. 9. d. t.* sive sit accessoria, pro fidejussore enim fidejussorem accipi non est dubium *l. 8. § ult. b. t.* An a. is secundum Schneidvvinum sit fidejussor Indemnitas propria ita dictus *Vid Hering. cap. 4. n. 6. Bacchov. in Treutl. volum. 2. disp. 28. eb. 3. litt. D.* (b) Ut pro re turpi & inhonestae fidejussor datus non tenetur *l. 70. § ult. b. t. l. 6. §. 3. l. 12. § 17. ff. Mandat.* nec impossibili *l. 29. ff. b. t.* Prohibitum quoque est ut mulier dotis servandae vel restituendae causa matrimonio constante a marito fidejussorem exigat *l. 1. C. Ne fidejus. dot. dentur* idque ob evitandam in connubio perfidiae suspicionem *l. 2. d. t. Hering cap. 6. n. 104.* sed an fidejussor, ultro a marito oblatus teneatur acriter disputatur *Goedd. cap. 6. n. 360. Harpr. Inst. b. t. Hering. d. cap. 6.* nos tamen affirmativae subscribimus *arg. l. 8. § 4. ff. b. t.* multa praeterea peti non possunt, ultro tamen data recte habentur *l. 13. ff. de Cond. Indeb.* Nec datio pignoris eo casu prohibita, quae cautioni fidejussoriae similis censetur *l. 7. §. 6. ff. de donat. int. vir. & Uxorem l. 21. in fin. ff. de Const. pecun.* Et Maritus dum offert volens, suo juri renunciare videtur. *Arum Exerc 13. thes. 12. Bronch. Enant. 3. aff. 13.* (c) e. g. si pro servo fidejussit quis *l. 13. C. Quodcum eo. l. 13. ff. de Condit. indeb. l. 35. ff. b. t.* vel pro pupillo *l. 127. ff. de V. O. l. 25. ff. b. t.* quod a. pro furioso & prodigo quis interveniat *d. l. 25. naturalis obligatio causa non est vid Bacchov. in Treutl. vol. 2. disp. 28. eb. 3. litt. B.* (d) *l. 16. § 3 ff. b. t.* sed hic distinctionem adhi-

adhibent Dd. Aut civilis obligatio talis est ut pariat effectum
 actionis & fidejussor tenetur §. 1. *Inst. b. t. Schneidvv. ib. n. 4.*
 aut est sine non quidem actionis, sed actionis effectu qualis
 literarum obligatio *Inst. de Litter. oblig.* Huic si fidejussor ac-
 cedit exceptione pecuniæ non numeratæ intra legitimum tem-
 pus oppositâ se tueri poterit *l. 12. C. de non num. pec.* Excepti-
 ones namq; reales principali competentes fidejussoribus ejus &
 quidem reo principali invito utiliter conceduntur *l. 15. l. 32.*
ff. b. t. l. 7. §. 1. l. 19 ff l. 11. C. de Exceptionib. Franc. cap. 3.
n. 20. & seqq. Non vero mere personales seu personæ rei me-
 dullitus inhærentes *d. l. 7 ff. de Exception. Broncb. Enant. 4.*
Affert. 56. v. g. exceptio competentia de qua in l. 16. & seqq.
ff. de re judic. & d. l. 7. Cessionis bonorum §. fin. Inst. de
Reiplic. Hering. cap. 27. part. 4. Quatenus vero rescripti
 moratorii exceptio extendatur ad fidejussores ipsisq; profit, de
 eo videatur *Guilhelm. Anton. Freundeb. de rescript. morat. tit.*
9. concl. 66. (e) Mutui *l. 8. C. Quod cum. eo l. 54. ff. b. t.*
 Depositi. *l. 1. §. 14. ff. deposit.* Emptionis & Venditionis *l. 113.*
§. 1 d. V. O. Locationis l. 54 ff. Locat. Societatis l. 63. §. 1. ff.
pro Socio. conferatur caput 10. Heringii, ubi is plures con-
 tractuum & quasi species quibus fidejussores adhibentur enu-
 merat. (f) Non observatâ distinctione an ex delicto agatur
 civiliter vel criminaliter *Goedd. cap. 6. concl. 23. n. 392. & seqq.*
 nisi quod, quando criminalis intenditur actio notandum sit, an
 causa delicti persecutionem pecuniariam importet, an vero pœ-
 nam corporis inflictivam priori casu non ambigitur reum sub
 fidejussoriâ cautione esse relaxandum *l. 1. & 3. ff. de Exhib. &*
cust. reor. licet delictum sit notorium *l. 70. §. fin. ff. b. t.* Nam
 per datum fidejussorum, fiscus de pœnæ si applicandæ solutio-
 ne redditur securior, nec ipsius quicquam interest, quis solvat
 reus an fidejussor *arg. l. 23. ff. de solut. l. 3. ff. Qui satisfac. co-*
guntur. Si vero ex delicto pœna corporalis sive sanguinis vel
 alterius coercionis reo infligenda venit, an tunc hæc cautio sit
 admittenda, non eadem omnium est sententia, communior ta-
 men & verior statuentium, eam causam prudētī judicis arbitrio
 ut plurimum esse committendam, qui cognoscat utrum reus ju-

xtra delicti & personarum circumstantias fidejussoribus admis-
 sis sit relaxandus nec ne *arg. l. 1. 2. 3. ff. de custod. & Exhib. reor.*
Goedd. d. concl. ita tamen ut intercedens per contractum non
 ad poenam corporalem à principali promeritam obligari pos-
 sit efficaciter ob denegatum sibi in propria membra dominium
Sichard. ad l. 13. C. b. r. Bacchov. in Treutl. d. disp. 28. th. 3. lit. A.
 quamvis nonnunquam de facto contrarium contigisse exem-
 pla quorundam probent, ut Damonis *Cicer. lib. 3. Offic. & a-*
liorum Goedd. d. concl. Tenetur igitur tantum fidejussor ad
 poenam pecuniariam, non corporis, nisi ipsius dolus interve-
 niat, tunc enim extra ordinem punitur *l. 4. ff. de Custod. & Ex-*
bib. reorum. Poenæ autem istius quantitas à præside est defi-
 nienda, si vel in ipsa cautione vel statutis certa non est expressa
l. 4. ff. d. t. l. 2. C. Ad SC. Turpil. Jure Saxonico fidejussor eo
 casu liberatur solutione unius Wergeldi. *Sandr. lib. 1. art. 65.*
Wesemb. π. n. 4. b. r. Quod tamen hodie non observari testa-
 tur Colerus, sed fidejussores oportere promittere se reum toties,
 quoties opus fuerit in iudicio representaturos, sub poenâ non-
 nunquam 500. vel mille vel etiam plurium aureorum, attentâ
 conditione personæ interfectæ ejusq; familiæ, item circumstan-
 tiis & patrimonio interfectoris conventi. *de proces. Execut. part.*
2. cap. 3. n. 90. Georg. Schulz in synopsis. Inst. b. r.

THES. V.

Constituitur Fidejussor per stipulationem (a) vel
 purè (b) vel sub conditione (c) vel ad tempus
 (d) conceptam. Et quamvis non in plus, quam
 principalis (e) Efficacius tamen eo potest obligari. (f)

(a) Sine stipulatione fidejussorem non contrahi su-
 pra diximus *ib. 1. lit. b.* id tamen intelligendum de jure ci-
 vili, de hodiernâ n. consuetudine respectu commerciorum &
 communis utilitatis ob æquitatem aliud posset statui, qua de
 re late disputat *Heringius cap. 11.* Et quia hæc stipulationis
 solennitas intrinseca est, ea semper præsumitur intervenisse
Sichard. ad d. l. 1. C. de contr. stipul. Myns. ad § ult. Inst. b. r. nec
 refert quibuscunq; verbis illa fiat modo utraq; pars percipiat
 §. 1.

§ 1. inst. § 1. §. fin. ff. de V. O. Franc. cap. 4. n. 61. (b) l. 6 §. 1. ff. b. t. ideoq; ex naturâ puræ stipulationis statim de debito agi potest Goedd de contrab. stipul. cap. 8. conc. l. 4. & ad l. 213 ff. de V. O. Donell. lib. 15. cap. 7. verum quia fidejussor in subsidium ob excusationis beneficium tantum tenetur, videtur huic contractui tacita inesse conditio arg. l. 54. & seqq. de V. S. Wesenb. π. de constit. pecun. n. 11. (c) l. 16. §. pen. & ult. l. 70. p. ff. b. t. & conditio adjecta fidejussioni efficit ut tam diu suspendatur obligatio, donec conditio purificetur l. 213. de V. S. Donell. lib. 15. cap. 11. nisi sit impossibilis quæ statim viciat contractum. l. 31. ff. de Obl. & Act. Goedd. cap. 8. concl. 9. (d) quo elapso amplius non tenetur, licet principalis ulterius sese obligaverit l. 7. C. locat. & cond. Extincta n. semel istius obligatio sine consensu fidejussoris non restauratur l. 13. §. 11. ff. Locat. Wesenb. π. n. 5. in fin. b. t. (e) Majus n. accedere minori, & in accessoria obligatione plus esse quam principali absurdum l. 129. l. 178. de R. I. ideoq; ad plus re, causa, loco, tempore, non recte obligatur, bene autem in leviolem causam l. 8. §. 7. l. 34. pr. ff. b. t. l. 3. §. fin. ff. De eo per quem fact. Wesenb. d. n. 5. Quæstionis a. est, an fidejussor in majorem summam quam principalis obligatus, plane non, vel in cõcurrentem tantum teneatur? Huic cõtroversia multi ob ponderosa rationum momenta ita subscribunt: Eum plane non teneri Fachn. lib. 8. controu. 51. Goedd cap. 4. conc. 4. Bachov. d. disp. tb. 4. lit. B. Alia. magis æquitate ac veritate secuti eum obligari in summam concurrentem arg. l. 33. ff. mand. in majori enim summâ in est & minor, quæ & promissa videtur §. 8. Inst. Mand. l. 1. §. 4. ff. de V. O. nec alias vtile per invtile vitiatur, quoties invicem separari possunt l. 37. de R. I. in 6 l. 34. C. de Donat l. 11. §. 1. ff. de Const. pecun. l. 61. p. ff. de jur. dotium. Hering. cap. 20. n. 52. & seqq. Hillig. in Donell. lib. 15. cap. 48. litt. r. Harpreht ad §. 5. Inst. b. t. n. 13. & seqq. (f.) Nonnulli ita proferunt eum obligari in plus intensive non extensive quam principalem, ut si principalis obligatio tantum fuit naturalis fidejussoria tamen sortitur effectum exactionis §. 1. Inst. b. t. l. 25. ff. de Franc. cap. 4. n. 129. vel si reus tantum simpliciter sit obligatus, fidejussor tamen poterit obligari sub juramento Herm. Vultej

*Vultei in jurisp. Rom. lib. 1. cap. 39. n. 46. sub Hypothecâ bonorū
Trencl. select. disp. volum. 2. disp. 28. th. 4. litt. F. vel instru-
mento Gwarantigionato, quod paratam habet executionem,
vel alio quodâ efficaciori vinculo. Wesenb. π. n. 5. b. 1. Franc.
d. cap. 4. n. 106. Et exinde probatur ortâ fuisse eam fidejussio-
nem inter Nobiles Germanos, quâ fidejussores, nisi principalis
ad diem constitutum solvat, se ad certum locum venturos nec
inde discessuros donec facta solutio, promittunt, vulgo zur Zelo-
nung/oder zum Einretten Wesenb. d. loc. & in notis ad Schneidvv.
Inst. b. 1. Coler. de Proces. Execut. part. 1. cap. 8. Quæ conventio,
etsi eam jure civili tolerari posse probet Gailius lib. 2. Obs. 45.
& de pace publ. lib. 2. cap. 2. n. 5. & in terris imperii approba-
ta fuerit in Comitibus Aug. Anno 1548. posteriori tamen Impe-
rii constitutione Francof. Ann. 1577. Rubr. von wucherlichen
contracten, § wiewol auch majoris mali vitâdi gratia sublata est.
Bened. Carpzov. part. 2. jurisp. cõst. 22. Defin. 30. Frâc. d. cap. n. 117.*

THES. VI.

Fidejussor ipse obligatur (a) & Hæres ejus (b) ad
id quod tempore contractus fuit in obligatione (c)
Usurarum vero nomine vel quod alias aut ex morâ aut
culpâ principalis accesserit, nemo eorum tenetur. (d)

(a) Non tam ex contractu principalis, ex quo conve-
niri nequit, quâ propriâ & speciali promissione Hartm. Hartm.
in pract. forens. lib. 2. tit. 30. Observ. 1. (b) Est enim hæc ob-
ligatio suâ naturâ perpetua & ad hæredes tam creditoris quam
fidejussoris transitoria §. 2. Inst. l. 4. l. 5. ff. l. 24. C. b. 1. Goedd.
cap. 9. concl. 7. n. 146. quamvis eorum non sit specialiter facta
mentio Franc. cap. 5. n. 69 una namq; & eadem persona cense-
tur hæres cum defuncto Novell. 48. in fin. prefact. & quia in u-
niversum defuncti jus cum commodo & incommodo succedit
l. 62. de R. I. l. 24. § 119. de V. S. jure hæres ad solvenda debi-
ta antecessoris obligatur, siquidem obligationis conditio ex
persona hæredum non immutatur l. 2. §. 2. ff. de V. O. imo
frustra recusat hæres, quod retractare non potuit ille, cujus
hæreditatem suscepit l. 44. p. ff. ad Trebell. Hering. cap. 20. §. 10.

non observatâ distinctione utrû obligatio consistat vel in dan-
do vel faciêdo *l. 13. & ibid, Sicbard. C. d. contrab. stipul. si n. fa-*
ctum à fidejussore vel ejus hærede præstari nequit, obligatio ad
interesse vel pœnâ cõventâ succedit arg. l. 44. ff. b. t. l. 72 pr. ff.
V. O. d. Sicbard. ad d. l. 13. Goedd. de contr. stip. cap. 9. concl. 4.
& 7. Limitatur autem prædicta assertio, si aliter est conventû,
ut in locum defuncti scilicet fidejussoris alius per confidejusso-
rem vel debitorem substituatur *Berlich part 2. concl. 26. n. 14.*
Franc. d. cap. n. 89. vel si contrarium consuetudo statuat, qua-
lem observari in Ducatu Lunenburgensi, Neustriâ hodie Nor-
mandia dicta & regno Bohemiæ præter alios testatur *Heringius*
d. cap. 20. §. 10. n. 80. An vero particulis taxativis instrumento
fidejussionis adjectis, ut ipse solus fidejussor vel duntaxat vel
solum, tantum, velit teneri, câ promissione liberati sint hære-
des quodammodo controversum est *Franc. d. cap. n. 87. Harpr.*
ad §. 2. n. 8. Inst. b. t. id tamen vix asserendum nos arbitramur,
nisi aliæ circumstantiæ vel verba apertius contrahentium men-
tem declarent *Goedd. cap. 9. concl. 7. n. 152.* particulæ n. illæ
non excludunt hæredum, sed extraneas personas. *Berlich. d.*
concl. n. 18. Bened. Carpzov. part. 2. const. 20. defm. 2. (c) Si-
ve forsive usura fuerit *l. 8. C. Quodcum eo. l. 10. C. b. t.* (d.)
si enim quis simpliciter id est nec relate nec expresse ad omne m
causam fidejusserit, de accessionibus non tenetur *Coras. lib. 2.*
miscell. jur. civ. cap. 12. Goedd. cap. 11. concl. 10. promissio eniæ
simplex ultra simplicem obligationem præsentem quicquam
comprehendere non debet *arg. l. 99. ff. de V. O. l. 76. §. 1. l. 125.*
ff. eod. cum effectus contractus se referat ad tempus contra-
ctæ obligationis *l. 69. ff. de contrab. Empt.* Non videtur autem
fidejussor in aliud se obligare, quam quod tempore interces-
sionis in obligatione fuit *l. 4. & 22. C. de Usur.* Ideoq; nec mo-
ra debitoris fidejussori obesse oportebit, ut ejusaugatur obli-
gatio *l. 17. §. fin. ff. ad Munic. Pacius Enant. 4. quæst 32.* nec
ei imputandum quod reus propter moram suam non præstitit
l. fin. ff. b. t. cum iniquum sit ex alterius facto alterum dam-
num pati *l. 44. ff. de Hæred. instit.* Aliud autem est si fidem
suam ad omnem causam, & quod ex natura contractus debe-
tur, astrinxerit *l. 54. ff. Locat. l. 5. C. de pact. int. Empt. & Vend.*
l. 68.

l. 68. ff. b. t. quod etiam continetur in statutis Lubecensium lib. 3. tit. 5. §. 1. tunc enim tenetur ad usuras vel interesse ob legem con tractui adjectam l. 23. de R. I. quemadmodum & si propria culpa fidejussoris intervenerit l. 17. §. 3. l. 32. ff. de Usur. Hering. cap. 24. n. 136. Harprechte ad §. 5. Inst. n. 60. & seqq. b. t.

THES. VII.

NE autem nimis dura esset fidejussorum conditio, quædam ipsis in jure beneficia sunt concessa. (a) Quorum primum est ordinis s. Excussionis, quo in principalis facultates inquiritur, num is sit solvendo antequam à fidejussore quid exigatur. (b)

(a) Merâ benevolentia fidejussores ducti onerosam principalis obligationem in se suscipiunt, raro lucro, frequentiori rei familiaris jacturâ exinde resultante juxta illud: *Sponde praesto noxa est.* Quod & Germani experientia nonnunquam edocti jocosè quidem eleganter tamen exprimunt: viel bürgen ist ein vergiftung deines Erbehells / vnd hat ein Erteffmutter die heisset verkauffe deine Güter / die gebühret dir eine Tochter / die heisset gib sie wol fell / dieselbe Tochter hat einen Bruder der heisset zum Thor hienaus. *Hering cap. 15. n. 13. Freundeb. de Rescript. morat. tit. 10. concl. 68. n. 81.* Aequitati itaq; consentaneum est, ut ii in vno gravati, & alterius quodammodo morbo laborantes in altero releventur contra rigorosam creditorum exactionem. (b) olim nisi quis indemnitatis promissor factus *l. 116. ff. de V. O. l. 21. ff. de salut. facultas dabatur creditori conveniendi pro lubitu primo vel fidejussorem vel principalem l. 22. §. 2. ff. Mand. l. 2. 3. 5. 16. 19. 21. 23. C. b. t. quod hodie per Novell. 4. cap. 1. & Authent. presente C. b. t. correctum est, quo novissimo jure creditor fidejussorem convenire nequit, priusquam debitor principalis, vel ejus hæres, vel eo non existente hæreditas jacens fuerit excussa. *Sichard ad d. Auth Goedd. de contr stip. cap. 9. concl. 5. n. 95. Hering cap. 27. part. 1. n. 170 & seqq. Quomodo autem illa excussio fieri debeat, de eo videatur Val. Fran. cap 5. n. 290. & seqq. Nec denegatur hoc bene**

beneficium fidejussori quamvis suam intercessionem juris jurandi religione, vel hâc clausulâ alles trewlich sondern arge list vnd ohn Gefahr firmaverit. juramentum n. tantum sequitur naturam actus cui apponitur *l. fin. C. de non num pec. Facbn. lib. 3. contr. 15. Avum Exerc. 13. rhes. 19.* & dicta clausula dolum modo abfuturum denotat *Bened. Carpzov. part. 2. const. 18. defn. 3.* Cessat vero hâc Exceptio seu beneficium ordinis (1.) Si principalis absit vel latitet, tunc enim convenitur fidejussor, ipsi tamen petenti tempus intra quod principalem primo conveniendum adducat iudex non denegabit, quo præter lapso compellitur is satisfacere creditoribus *d. Aub. Prasente & ibid. Sichard. Schneidov. ad §. 4. Inst. b. t.* (2.) Si reus sit difficilis conventionis v. g. Tyrannus, rixosus non sine litigio solvere solitus *Franc. d. cap. 5. n. 326 Hering cap. 27. part. 1. n. 273. Carpzov. d. const. defn. 9* vel (3.) is notoriâ laboret inopiâ *Coler. part. 1. cap. 10. n. 385. de proc. Execut. quomodo autem eum non esse solvendo probetur pluribus demonstrat Berlichius part. 2. concl. 24. n. 143. & seqq. Hering. d. loc. n. 200. & seqq.* vel (4.) naturaliter tantum is sit obligatus *Coler. d. cap. 10. n. 404.* Cessat (5.) si fidejussor dolosè fidem suam interposuisse inficietur & de mendacio vincatur *Goedd. d. concl. 5. n. 101. vel (6.)* si legitime renuntiaverit huic beneficio, idq; vel expresse *Hering. d. loc. n. 186.* vel tacite omnino hanc exceptionem initio litis. Censetur n. communiter hâc exceptio dilatoria, quæ regulariter ante litis contestationem est opponenda *l. 2. C. sentent. rescind. non poss. Wisenb. π. n. 6. b. t. Facbn. lib. 8. contr. 52.* Tandem si fidejussor debitori successerit, tunc absq; beneficio excussionis tenetur, etiam ultra vires hæreditarias, quamvis inventarium confecerit *arg. l. 21. §. ult. ff. b. t. l. 3. ff. de separ. l. 13. ff. de duob. reis. Carpzov. part. 2. const. 18. defn. 13.* plures Exceptiones seu limitationes tradunt *Heringius & Berlich. dd. lloc.* quorum ille XXIV, Hic XCI enumerat, an a. omnes pari loco habendæ eam controversiam nostram non facimus. Ea tamen sicco non prætereunda pede an fidejussor ut principalem wie etnen selbst Schuldneren / se obligans gaudeat beneficio excussionis? Ardua est controversia,

fia, quæ multorum ingenia torfit ita, ut facile alicujus judici-
um eâ in suspensoteneri possit, cui Ddum agmini tuto esse
consentiendum ob rationes *ab Heringio cap. 27. part. 1. n. 85.
& seqq. & Berliccb. d. concl. allatas.* iis tamen utrinq; pen-
tatis probabilior ea videtur sententia fidejussorem ejusmodi
verbis hoc beneficio non excludi. *arg. l. 3. C. b. t. l. ult. C. de
Const. pecun. Franc. cap. 5. n. 188. & seqq. Bacchov. in Treuel.
vol. 2. disp. 28. eb. 5. litt. C. & D. Carpzov. d. const. defin. 2. nisi
id animo novandi factum fuerit. Sicbard. ad d. Aurb. Presen-
te n. 4. Schneidov. ad S. 4. Inst. b. t. n. 11. & seqq.*

THES. VIII.

Secundum beneficium est Divisionis (a) locum ha-
bens inter confidejssores (b) quo creditor non
ab uno solidum sed singulis partem consequitur, si-
modo omnes sint solvendo.

(a) Antea plures confidejssores, quotquot erant nu-
mero, in solidum singuli tenebantur *§. 4. Inst. b. t. l. 3. l. 23.
C. eod. juxta naturam correorum promittendi l. 3. §. 1. ff. de
duob. reis.* adeo ut in arbitrio creditoris situm convenire quem
vellet fidejssorum relicto etiam principali. *ut in ebes. preced.*
Sed D. Hadrianus æquitate & commiseratione erga fidejssor-
es motus, in Epistolâ quâdam, cujus non verba, sed sensus
tantum extat, id immutavit, ita ut obligatio inter confidejss-
ores pro virilibus portionibus æqualiter dividatur. *d. §. 4. Et
ibi Dd. Inst. l. 10. C. b. t.* quamvis singuli in solidum sâmp-
lich vnd sonderlich / einer für alle / vnd alle für einen. sese obli-
gaverit *l. 3. C. b. t. Carpz. part. 2. const. 17. defin. 9. Hering.
cap. 27. part. 2. n. 32. & seqq.* Et hoc beneficium competit e-
tiam fidejssorum hæredibus *Franc. cap. 5. n. 453.* (b) Ut
enim huic beneficio locus sit, requiritur sint confidejssores id
est ejusdem debiti pro eadem personâ fidejssores. Nam fide-
jssores diversorum debitorum confidejssores non sunt *l. 43.
ff. b. t. nec fidejssor fidejssoris & confidejssor l. 27. §. ult. ff.
ideoq; beneficium hoc ipsis non competit. dd. B. Extensum
est hoc*

est hoc beneficium à Justiniano ad Correos constitutæ pecuniæ
l. ultim. C. de Constit. pecun. & ibid. Sicbard. uti & ad Correos
debendi principales *Novell. 99. & Authent. Hoc ita C. de duob.
reis. Donell. lib. 15. cap. 5. Goedd. de contr. stipul. cap. 5. concl. 10.
n. 160. & seqq. Franc. d. cap. n. 447.* Obtinetur autem hoc
beneficium adversus creditorem petentem solidum excipiendo
non agendo *l. 26. & 28. ff. b. t. Hering. cap. 25. n. 132. & cap.
27. part. 2. n. 15.* Solvens igitur solidum omittâ hâc exceptione
id quod exceptione retinere poterat, non repetit à credito-
re *l. 39. l. 49. §. 1 ff. b. t.* nec à confidejssoribus *d. l. 39.
& l. 11. C. eod.* nisi cessæ fuerint actiones *qua de re ib. seqq.*
Quo autem tempore hæc exceptio opponenda, non æque con-
venit inter Dd. Communiter tamen probant eam peremptori-
am, ideoq; & post litis contestationem posse opponi usq; ad
sententiam *l. 10. C. d. t. & ibid. Sicbard. Hering. cap. 28. n. 29.*
(c) Quotquot enim eorum solvendo non sunt, hi onerant cæ-
teros, adeo ut, si omnes solvendo esse desierint uno tantum su-
perstite ab eo solidum exigatur *l. 26. ff. b. t. & d. §. 4. Inst. eod.
Goedd. cap. 9. concl. 5. n. 107.* Sufficit autem eos solvendo fuisse
litis contestatæ tempore *d. §. 4. & l. 26. ff. b. t.* Nam si post li-
tem contestatam quis confidejssorum facultatibus labatur, id
non confidejssori sed creditori nocet *l. 51. §. 4. ff. l. 16. C. b. t.
Franc. d. cap. n. 464.* Ideoq; consultum est creditori, si dubitet
an quis eorum solvendo nec ne, ut is onus probandi istius de-
ferat cõfidejssori exceptione divisionis prætendenti cum cau-
tione de residuo in futurum solvendo *l. 10. princ. ff. b. t. Franc.
d. loc.* Destituuntur & fidejssores hoc beneficio aliis in casib9,
ut si inficientur se fidejssisse *l. 10. §. 1 ff. b. t. Hartm. Hartm.
in pr. forens. tit. 30. observ. 5.* quod modo verum si simpliciter
& dolose negent se fidejssisse, secus si litem negative contesten-
tur, negando narrata pro ut narratur *Schneidov. ad d. §. 4. n.
20. Inst. b. t. Goedd. d. concl. 5. vel 2.* Idonee huic beneficio re-
nunciaverint *l. pen. C. de. Pact. Novell. 136. cap. 1.* 3tio si fi-
dejssorum alii efficaciter, alii non ut mulier, pupillus, fidejss-
sione obstructi sint, tunc subtractis obligationi minus idonee
obligatis onerantur cæteri *l. 48. ff. b. t. Franc. cap. 5. n. 474.*

nisi initio contractus obligatio fuerit divisa l. 8. C. Vellej. Hering. d. part. 2. n. 62. Cessat & 4to si plures fidejussores pro uno tutore intercesserint rem pupilli salvam fore, ne causa in plures dividatur cum pupilli incommo d. l. fin. ff. rem pupill. salv. for. Harprecht. ad §. 4. n. 12. Inst. b. t. Wesenb. π. de fidejuss. tutor. vel. curat.

THES. IX.

Tertium beneficium est Cedendarum actionum (a) quo creditor tenetur fidejussori solidum solventi (b) cedere actiones suas (c) contra confidejussores (d) vel principalem quem alias habet obligatum sibi actione mandati (e) si pro eo solverit (f)

(a) Cedere actiones vel actionibus hoc loco est jus suum in alium transferre & actionem quam quis habet integram alicui concedere Sicbard. ad l. 3. C. de Novat. n. 1. Hering. cap. 27. part. 3. n. 1. & seqq. Et hoc beneficio fruitur fidejussor si duobus prioribus fuerit exclusus Goedd. d. concl. 5. n. 114. (b) Creditor enim denegans hanc cessionem removetur per hanc exceptionem à petitione debiti Schneidov. ad d. §. 4. n. 23. Inst. b. t. Franc. d. cap. 5. n. 480. Quando vero hæc cessio est petenda? Eam debere peti ante vel in ipso solutionis actu omnes affirmant, post solutionem autem peti posse multi negant, cum per solutionem actio, quæ fuit, perempta videatur, & sic cedi nequeat l. 76. ff. de sol. Goedd. d. loc. n. 118. Jacob à Sand. de cession. act. & juris rub. 6. n. 70. Verum non ita est l. 36. & l. 17. ff. b. t. l. 5. §. 2. ff. quib. mod. pign. solv. Et hanc sententiam ut veriore & æquiore non sine ratione approbāt Heig. quest. jur. Civil. 38. n. 13. Franc. d. cap. n. 484. Hering. cap. 28. n. 38. Carpz. part. 2. const. 17. defn. 16. Inficias tamen non minus salubrius cōsuli fidejussori ut petat cessionē ante solutionem vel in ipso solutionis actu, cum melius sit servare sua jura intacta, quam iis sauciatis remedia quærere l. 5. C. quib. caus. in integ. rest. necess. non est Sicbard. ad l. 2. n. 9. C. b. t. (c) Tam principales quā accessorias l. 10. l. 39. ff. l. 3. l. 11. C. b. t. Hering. cap. 27. part.

27. part. 3 n. 16. An vero fidejussori solidū solventi contra confidejssores actio in solidū sit cedenda, an tantum pro parte virili quæstionis est? Eam integram solidum solventi esse cedendam non ambigimus. Creditori enim omnes fidejssores in solidum sunt obligati l. 3. C. b. t. Ideoq; jus pro ut creditori competit solventi tenetur cedere l. 2. C. d. t. fidejssor tamen non tantum, quantum solvit, sed quod ultra suam portionem solvit, a. confidejssoribus repetit rationes & præjudicia hujus vid. apud. Color part. 2. cap. 2. n. 11. & seqq. Franc. d. cap. 5. n. 489. & seqq. Hering. d. p. 3. n. 28.

(d) Confidejssores inter se non contrahunt, ideoq; se invicem non habent obligatos, ratione ejus quod ultra suam portionem solverint, neq; actione Mandati, quod non intervenit, neq; negotiorum gestorum, sed fruuntur tantum jure creditoris cedentis l. 39 ff. l. 11. C. b. t. Berlich. part. 2. concl. 22. n. 86. Carpz. d. const. 17. defm. 15. Et licet unius solutione cæteri confidejssores liberentur, & sic eorum negotium utiliter gestum videatur l. 2. ff. de Negoc. gest. magis tamen hic consideratur, quod sit principaliter, scilicet ut ipse solvens vel reus, quam ex quâdam consequentiâ, ut scilicet confidejssores liberentur Sicbard. ad d. l. 2. C. b. t. n. 10. quod secus est in correis debendi principalibus & contutoribus, qui etiam absq; cessione actionum contra correos & contutores utilem negotiorum gestorum actionem habent l. 30. ff. de Negoc. gest. l. 1. §. 13. ff. de Tutel. & ration. l. 2. C. de duob. reis. Wesenb. π. de Admin. & per. tut. n. 10. Franc. cap. 5. n. 488. (e) §. 6. & ibd. Dd. Inst. b. t. l. 10. §. 11. l. 53. ff. l. 6. C. Mand. Ut autem hæc mandati actio contraria scil. contra principalem competat, requiritur, quod fidejsserit pro reo principali præsentem, vel non ignorante l. 6. §. 2. ff. d. t. pro ignorante enim intercedenti succurritur tantum actione negotiorum gestorum l. 20. §. 1. ff. eod. l. 1. & 2. ff. de Negoc. gestis. Et his remediis, ne ipsi suum officium sit damnosum, consequitur fidejssor non modo principale debitum, sed & damna atq; interesse à principali debitore vel ejus hæredibus l. 45. §. 6. l. 27. §. 4. l. 50. ff. Mand. Hering. rot. cap. 26. Nec impedit fidejssoris inten-

tionem quamvis vel extra iudicium solverit *l. 10. § 11. ff. Mand.*
 si modo exceptiones competentes scienter non omiserit *l. 29.*
ff. Mand. Hering. cap. 26. n. 16. & seqq. vel creditor ipsi donā-
 di animo debitum remiserit *d. l. 10. § fin. Pac. Enant. 4. quest.*
84. Restrictiones quibus hæ actiones fidejussori denegantur,
vid. apud. Franc. cap. 5. n. 531. & seqq. Hering. cap. 25. num. 68.
& seqq. (f) Antequam fidejussor solverit hanc actionem in-
 tendere nequit cum nondum sit impletum *l. 1. C. de fidej. min. l.*
10. C. Mand. ac ne reus ex ejusmodi immaturâ exactione fide-
 jussoris à quo sperabat commodum, damnum consequatur
arg. l. 17. § 3 ff. commod. Sichard. ad d. l. 10. n. 3. nisi fidejuf-
 sio ita accepta sit, ut ante solutionem agi possit *d. l. 10.* vel reus
 in solutione diu cesset, quod tempus autem hoc casu diutinum
 sit, arbitrio jus dicentis æstimandum *Franc. d. cap. n. 561.* vel
 rei prodigalitas justam causam metuendi eum facultatibus la-
 psurum fidejussori inferat *d. l. 10. l. 38. ff. Mand. Franc. d. loc.*
n. 567. Tandem si fidejussor ad solvendum est condemnatus.
 His enim casibus & aliis ob ponderosam rationem, ad libera-
 tionem nondum factâ solutione contra principalem agere po-
 test *Coler. part. 1. cap. 10. n. 362. de proc. exerc.* ita tamen ut ci-
 tentur creditores quorum interest fidejussorem liberari *arg. l.*
47 ff. de re jud. Hering. cap. 25. n. 49. & seqq.

THES. X.

Fidejussio iisdem modis quibus obligatio principa-
 lis, tollitur, veluti solutione (a) Novatione (b)
 Confusione (c) compensatione (d) transactione (e)
 & similibus (f.)

(a) Solutio si proprie sumatur denotat debiti natura-
 li præstatione legitime factam satisfactionem *Herm. Vultej. ju-*
rissp. Rom. lib. 1. cap. 53. n. 1. Eaqu; vinculum fidejussoria ob-
 ligationis dissolvi non dubitatur *Hering. cap. 20. §. 1.* Et parum
 refert an solutio ejus quod debetur fiat à fidejussore vel princi-
 pali *§. 1. Inst. quib. mod. obl. toll. l. 24. l. 43. ff. de solut. vel alio*
 quodam nō obligato, quamvis fidejussor vel principalis igno-
 rent,

rent, vel iis invitis solutio in actum deducatur l. 50. l. 53. ff.
Mand. l. 23 ff. de solut. l. 5. C. eod. omnia enim iudicia absolu-
toria sunt, si id præstetur, quod debetur. Goedd. d. 17. cap. 12.
concl. 1. Quid autem si res debitoris insolutum fuit data & po-
stea evicta, numne creditor contra fidejussorem in subsidium
agere potest? Affirmat Francus cap. 6. num 12. arg. l. 27. ff. de so-
lut. l. 21 ff. de jure fiso. Ex mente enim & intentione partium vel
legis dispositione actio contra fidejussorem non fuit subla-
ta, nisi sub conditione, si res insolutum data fuerit dantis.
Arum. Exercit. 13. lb. pen. Cum & solutionis vocabulo accepti-
latio denotetur l. 16. ff. de Accept. & ea nihil aliud sit quam ima-
ginaria solutio §. 1. & ibid. Dd. Inst. quib. mod. obl. toll. quæ
effectu tantum præstat, quantum vera Herm. Vult. lib.
1. jurispr. Rom. cap. 55. ideoq; per eam fidejussorem suo
nexu liberari non dubitatur Franc. d. cap. 6. num 24. Hering.
cap. 20. §. 5. Et si fidejussori pure obligato à creditore acce-
pto latum sit, liberatio quoq; contingit reo principali l. 13. §.
7. l. 16 ff. de Accept. Vult. d. cap. n. 29. Don. lib. 16. cap. 21. litt. Q.
(b) Quando scilicet prius debitum in aliam obligationem trās-
funditur l. 1. ff. de Novat. Goedd. de contr. stipul. cap. 5. concl. 7.
& tunc si id fiat legitimè ac voluntarie liberatur fidejussor, si
modo insequenti iterum se non obliget l. 60. ff. l. 4. C. b. r. l. 18.
ff. de Novat. Hering. d. cap. §. 3. Idem obtinet in delegatione ri-
tè factà Hering §. 4. Prorogato autè debitori principali solutio-
nis termino novatio non videtur facta, ideoq; nec fidejussor
liberatus Wesenb. π. de Novat n. 6. non tamen fidejussori quoad
subsequens tēpus per prorogationem creatur præjudicium l. 7.
C. locat. cond & ibid. Sicbard. Franc. cap. 6. n. 67. & seqq. Fachn.
lib. 2. cont. 88. Goed. d. cap. 12. concl. 10. (c) Confundi dicitur
obligatio quoties debitor creditori vel creditor debitori succe-
dit vel vnus utriq; Herm. Vultej. lib. 1. jurispr. Rom. cap. 57. Vnde
si creditor principali debitori succedit, pro eâ parte quâ hæres
factus est, ut principalis, ita & accessoria fidejussoris scilicet ob-
ligatio sublata est l. 34. §. 8. ff. de solut. l. 95. §. 1. & 2. ff. d. r. sal-
vâ tamen manente obligatione fidejussoris de residuo, quod
creditor ex hæreditate consequi non potuit, si modo usus be-
ne-

neficio inventarij *arg. l. 7. C. de Negot. gest. l. 6. C. de Hared. act. l. ult. § pen. C. de jure deliberand.* Sic si debitor creditori succedit facta est confusio & liberatus est fidejussor *l. 21. § 3. ff. h. t. l. 34. § 8. l. 75. ff. de solut.* Imo fidejussore succedente vel creditori vel debitori fidejussoria obligatio propter principalem cum quâ confusa est ut quasi perempta in considerationem non venit *l. 13. ff. de duob. reis. l. 5. ff. h. t. Herm. Vult. d. c. n. 15* nisi plenior sit accessoria obligatio *l. 21. § 2. ff. h. t. l. 95. § 3. ff. de solut. Donel. lib. 16. cap. 4. litt. f.* tunc enim duæ obligationes in unam personam concurrunt, quarum tamen unâ in judicium deductâ consumitur altera *l. 5. § fin. ff. h. t. Hering d. c. §. 16. (d)* Quæ est crediti & debiti inter se ultro citroq; facta contributio *Herm. Vult. d. l. 1. cap. 58.* Eâq; fidejussor uti poterit ad sui liberationem, sive creditor sibi vel debitori aliquid debeat *l. 4. § 5. ff. de Compens. Vult. d. cap. n. 6. (e)* liberato reo per transactionem fidejussor conveniri nequit *l. 68. § 2. ff. h. t. l. 7. §. 1. ff. de Transact.* (f) Quos vide apud Francum cap. 6. & Heringium per 101. cap. 20. Qui Autores ut hancce de fidejuss. materiam fusillimè ac doctissimè, ita & modos fidejussoria obligationis dissolvendæ pertractarunt. Nos dissertationi huic finem imponemus moniti interim ad meliora seqvenda parati.



ULB Halle 3
003 499 200




SK

Vb 17







B.I.G.

Farbkarte #13

1646, 2

A

DISPUTATIO JURIDICA
DE
FIDEJUSSORIBVS ET
EORVM BENEFICIIS,

Quam
D. T. O. M. A.
Autoritate & Consensu Amplissimi Ictorum ordi-
nis in Electorali ad Viadrum Academia flo-
rentissimâ
Sub Præsidio
Excellentissimi Amplissimi & Consultif-
simi Viri DN.

D. HENNINGI
GROSEN/

Professoris P. hujus Academiae Dignissimi, meritissimi
ac Practici celeberrimi, Praeceptoris Patroni ac Pro-
motoris sui summâ observantiâ
colendi

Publicè in Auditorio Juridico examinandam Eru-
ditis proponit
DAVID SCHRÖDERUS Treptoâ
Pomer.

Ad diem 3. Septemb. Anno 1646.
Horis à 7. Matutinis.

Francofurti
Typis NICOLAI KOCHL
Accad. Typogr.

